



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pia Desideria**

**Hugo, Hermann**

**Mediolani, 1634**

VII. Veni dilecte, mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Cant. 7.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43734**



*Confige timore tuo carnes meas, a  
iudicijs enim tuis timuij Psalmus*

*C. Blancus fec.*

19



## VII.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, com-  
moremur in villis. Cant. 7.

**I** Am satis Urbanas, mea lux, habitauimus edes;  
Quin semel in virides exspatiamur agros?  
Tuta quidem validi circumdant oppida muri,  
Portaque ferratis non caret ulla seris:  
Est tamen in patulis, quid nescio, tutius hortis  
Quod nusquam in clausa mœnibus vrbis habes.  
Magnificis turgent urbana palatia tectis,  
Multus & hic celsa cuspide surgit apex.  
Nescio quid melius tamen illa mapalia spirent,  
Rustica que tenui stramine canna tegit.  
Quid dubitas, mea lux, quin, quam procul urbibus  
Tam procul agrestū, distet ab vrbe, quies? (agri  
Fabula cantatur vatum notissima lusu,  
Ad bene fallendas fabula ficta vias:  
Et facit ad rerum modò quas tractauimus, usum;  
Si lubet, auditu decipiemus iter.  
Rusticus Urbanum tecto mus paupere murem,  
Fertur et appositis detinuisse cibus.  
Musque epulas muris ridens urbanus agrestis,

I                      Hæc



Hæc tua si mensa est, sat mihi ruris, ait,  
 Mox vice conuersa, mus Rusticus iuit in urbem  
 Urbico in hospitium mure vocante suum:  
 Magnaque cum tanto minor esset mensa paratu,  
 Ut sonuere fores mensa relicta fuit;  
 Et propè deprenso conuiuia expalluit hospes,  
 Turbati que suum vix reperere cauum.  
 Rusticus ast animo sensim cum voce recepto,  
 Corripuit celerem Musculus urbe fugam:  
 Et procul è cliuis oculos ad mœnia torquens;  
 Quàm meus his præstat mœnibus inquit, ager!  
 Iam satis urbanas, mea lux habitauimus edes,  
 Vrbe volanti strepitus, rus colit alta quies.  
 Si memores es (subeat tibi pars lautissima vulgi)  
 Quisque suburbanum rus propè ciuis habet;  
 Cumq; suam assiduè commendet quilibet urbem,  
 Re tamen, ipsa magis rura placere docent.  
 Quin, quorum imperijs vrbes, arcesque reguntur,  
 Anxia securo pectora rure lenant.  
 Et magis hic puri libertas aurea Cœli,  
 Quàm laqueata, domi, marmore recta placent.  
 Nec que centeno sinuat se porticus arcu,  
 Lenit, ut ambiguos paruula villa, meus.  
 Iam satis urbanas, mea lux, habitauimus edes,  
 Quin semel in villis degimus, aut in agris?  
 Est



Est mihi fontanis circumdata villulariis,  
Villula, qua nusquam cultior vlla viret.

Seu Cœli ingenio, seu fertilis indole terra,  
Aptaque vicini commodate loci.

Huc mea lux, paucis tantum si veneris horis,  
Oblitus patriæ protinus vrbis eris.

Tumq; ego, ceu tacita turtur meditatus in umbra,  
Libera, colloquijs, Sponse, vacabo tuis.

Et procul à populis procul vrbibus atque tumultu  
Optata toties, sola, quiete fruamur.

Audiet hic nullus quæ mutua verba loquemur,  
Nostraque qui turbet otia nullus erit.

Quique notet nostros, nemo metuendus, amores,  
Tetricus hic nullum ius sibi Censor habet.

Tunc mihi tu promes secretis intima fibris.  
Quæq; inuent animum verba cupita meum.

Tunc ego, si quanta dicam tibi, saucia flamma;  
Quæque licet similes, dicta placere, scio.

O semel optati micet hac mihi fideris aura;  
Quam fortunato lux erit illa die!

Nam satis Urbanas, mea lux, habitauimus edes,  
Nostra sit exiguo tempore, villa domus.



## HIERONYMVS

*Epist. 1. ad Heliod.*

**Q**uid agis? quamdiu te tectorum vmbra  
premunt? quamdiu fumosarum vrbium  
carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus  
lucis adspicio, libet sarcina corporis abiecta ad  
parum ætheris euolare fulgorem.



Trahe



mbra  
bium  
d plus  
eta ad

ahc